



**Hortulus Biblico-Moralis Et Asceticus**

**Pappus von Tratzberg, Franz**

**Ulm, 1725**

Doctrina 3. Desumpta ex residuis capitibus lib. 1. Machab. in quibus  
describitur: Antiochus Simoni fœderatus pacta rumpens. Simon cum filiis  
à Ptolomæo perfidè necatus.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-61252](#)

## Doctrina 3.

*Desumpta ex residuis capitibus lib. I. Machab. in quibus describitur: An-  
tiochus Simoni fœderatus pacta rumpens, Simon cum filiis à Proloco  
perfidè necatus.*

*Considera: P*romissa hominum simillima esse anguillæ, quæ dum N. 426. creditur teneri, jam elapsa cernitur. Hoc eventus docuit Judæos, testante Sacra Scripturâ capit. 15. v. 27. Antiochum nullis stetisse promissis, quæ fecerat Simoni, rumpens omnia, quæ fuerat ante cum eo pactus. Hoc ipsum moderna sàpè tempora Christianos docent: dum non simplicia tantum, sed jurata quandoquè franguntur promissa; non alia de causa, quam quòd Ratio statûs id videatur exegisse. Perpende econtra stabilem illam & infraictam promittentis Dei fidelitatem: *Sponsiones ejus teste S. Chrysostomô certiores sunt, quam res, quæ in nostris manibus tenentur.* Spoponderat piissimo Simeoni; non visurum se mortem, antequam vidisset Christum Domini. Et hem! non vidit tantum, sed & visum palpavit, brachiis strinxit, portavit manibüs, pectori admovit, sacrò sibi univit osculò. Promiserat Numeri 17. facturum se, ut flores nascerentur in illius Virga, qui dignus haberetur sacerdotiò. Et hem! Virga illa non tantum floruit, sed & amygdala produxit. 4. Reg. 14. promisit: Regem Asyriorum Jerosolymam, quam obsederat, non fore ingressurum, nec missurum in eam sagittas, & hem! non tantum hæc omnia evenere, sed Angelus Domini nocte illâ percussit Assyriorum centum octoginta quinque millia. Hanc summam Dei fidelitatem ad exactiorem mentis suæ trutinam ponens Regius Vates exclamat Psal. 118. *Principium Verborum tuorum Veritas.* q. d. tantam certitudinem divinis inesse promisis, ut dixisse, vel etiam coepisse dicere, perinde sit, ac jam promissa impluisse.

Dicam ergo cum Jeremia c. 17. *benedictus vir, qui  
confidit in Dominâ &c.*

FASCI

Dddd3